

QUÆSTIO LXXXVI.

DE EFFECTU PŒNITENTIÆ QUOAD MORTALIUM

PECCATORUM REMISSIONEM.

I. In articulo primo ostendit S. Thomas, nullum esse peccatum, quod in hac vita per pœnitentiam deleri non possit, quia pœnitentia operatur virtute gratiæ et misericordiæ divinæ, quæ sufficiens est ad omnia peccata exhaurienda in homine viatore. In secundo articulo docet, non posse peccatum mortale tolli sine pœnitentia, quia non potest tolli offensa non sublata causa, unde procedit: procedit autem ex voluntate aversa a Deo. Ex hoc enim Deus manet offensus, quia avertimur ab illo: ergo nisi mutetur ista aversio voluntaria, non tollitur offensa Dei: non mutatur autem nisi per voluntatem contrariam, quæ est detestatio illius aversionis; et hæc est pœnitentia. In articulo tertio docet, unum peccatum mortale sine alio remitti non posse, quia nullum peccatum mortale tollitur, nisi per gratiam, quæ sola potest tollere maculam et offensam illius: si autem remaneret aliud peccatum mortale in subjecto, non posset cum illo stare gratia, quia gratia et peccatum simul non sunt: ergo non potest tolli unum peccatum mortale sine alio, quia nequit stare cum gratia. In articulo quarto docet, quod re-

missa culpa potest remanere in homine reatus, seu obligatio ad aliquam pœnam temporalem, quia licet remota offensa et culpa non maneat aliquis debitor pœnæ æternæ, potest tamen ratione conversionis ad bonum commutabile, in quo nimis sibi indulget, manere debitor alicujus pœnæ, si non perfecte doluit, vel afflictus est ex tali nimietate; sed quia conversio est finita, etiam pœna illi correspondens finita est. In articulo quinto docet, quod remissa culpa non statim tolluntur omnes reliquiæ peccatorum prave dispositionis, seu pronitatis ad peccandum, ut ipsa experientia constat, quia istæ dispositiones pertinent ad illam conversionem ad bonum commutabile erga quod potest manere inclinatio aliqua vel dispositio, licet non maneat ordinatio ad illud ut ad finem. In articulo sexto docet, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ; tum pœnitentiæ ut est sacramentum (in quantum illic ex opere operato virtus divina operatur ad infundendam gratiam) tum pœnitentiæ ut est virtus, in quantum per hanc pœnitentiam disponitur subjectum ad gratiam, et ordinatur ad claves Ecclesiæ.

QUÆSTIO LXXXVII.

DE REMISSIONE VENIALIUM.

DISPUTATIO XXXV.

DE REMISSIONE PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

—

ARTICULUS I.

*Utrum peccatum mortale nullo modo sine pœnitentia possit remitti?*

I. Quatuor docet S. Thomas in hac quæstione. Primum, requiri etiam ad remissionem peccatorum venialium pœnitentiam, licet non ita perfectam sicut ad remissionem mortalium, quia de peccatis mortalibus requiritur detestatio actualis, cum diligentia ad recordandum de singulis, ut de singulis pœniteat: ad remissionem autem venialium sufficit detestatio virtualis, quatenus alicui displicet quidquid retardat affectum in Deum, licet de illo peccato in speciali non cogitet. Secundo, docet in secundo articulo non requiri ad remissionem venialis infusionem gratiæ habitualis, sed sufficit aliquem motum gratiæ, seu charitatis excitari, quia peccatum veniale non opponitur gratiæ habituali, quia non destruit illam, sed fervori, seu motui illius. Tertio, in articulo tertio docet, quod per aspersionem aquæ benedictæ, et alia similia sacramentalia, remittuntur venialia peccata, in quantum ista fiunt cum aliquo motu detestationis peccati, vel motu reverentiæ in Deum, vel in res divinas. Quarto, in articulo quarto docet, quod existenti in peccato mortali non remittitur veniale nisi remittatur mortale, quia veniale peccatum remittitur per fervorem et motum charitatis, cui opponitur, necessario supponentem ipsam gratiam et charitatem; qui autem est in peccato mortali, neque gratiam habet, neque charitatem, et sic nec fervorem.

I. Loquendo de facto, et secundum potentiam Dei ordinariam, facile constat resolutio dubii, nullo modo posse remitti peccatum mortale sine pœnitentia. Hoc enim manifestissimis Scripturæ testimoniis constat, Lucae xiii: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: Ezech. xviii: *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis iniquitas in ruinam*: Act. viii: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Extat etiam definitio Concilii Tridentini sess. xiv, cap. iv: « Fuit, inquit, quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: » ergo sine pœnitentia nullo tempore data fuit peccatorum remissio hominibus lapsis.

II. Ratio vero S. Thomæ in articulo secundo præter divinam ordinationem et institutionem, quæ est

præcipua et fundamentalis ratio, ea est, quia offensa Dei procedit ex aversione voluntatis humanæ a Deo; ergo requiritur ad remissionem huius offensæ, quod mutetur ista aversio voluntaria, quæ est ratio fundamentumque illius offensæ; hæc autem aversio tollitur per gratiam Dei, quæ in hoc differt a gratia hominis, quod gratia hominis non mutat, nec imprimit aliquid in altero; gratia vero divina causat bonitatem in homine, quia gratia Dei est bona voluntas ejus, qui est causa universalis omnis boni, ergo talis gratia causat oppositam voluntatem detestandi et nolendi peccatum cum proposito emendæ; quæ detestatio pertinet ad pœnitentiam: ergo impossibile est sine pœnitentia peccatum remitti.

III. Videtur tamen hæc ratio S. Thomæ parum efficax et diminuta, quia licet voluntas Dei sit causa omnis boni creati, tamen ex hoc retorquetur argumentum: Deus est causa omnis boni: ergo etiam moralis boni et moralis effectus, et non solum physici: ergo cum remissio Dei sit condonatio quædam, etiam causat effectum condonationis offensæ, quæ in remissione et ablatione peccati intervenit, qui est moralis effectus; restat ergo S. Thomæ probare, cur non possit divina voluntas et gratia ita causare hunc effectum moralem, quod non causet physicum, et quare repugnet separari hos effectus, ita quod solum moralem causet effectum, id est, extrinsecam condonationem offensæ, sine immutatione physica cordis, et conversione ejus ad Deum, quæ est actus pœnitentiæ. Itaque bene probat S. Thomas, quod gratia divina debet causare aliquid, sed quod necessario debet causare aliquid physicum, et non sufficiat causare aliquid morale, unde probat: diminuta ergo est ratio ipsius.

IV. Secundo, nam dato quod debeat causare aliquid physicum, quare non sufficit infundere gratiam habitualement, non causando actum in voluntate, sed solum habitum infundendo, ut si infunderet dormienti. Et dato, quod debeat causare actum, cur non sufficit actum dilectionis Dei causare, sed requiritur actus pœnitentiæ doloris, seu detestationis vindictivæ, quæ est proprie actus pœnitentiæ: ergo undique deficit ratio S. Thomæ, neque efficaciter infert absque pœnitentia non posse remitti peccatum ex gratia Dei, cum jam multis viis possit instari illa ratio, quod scilicet debeat causare aliquid in anima, et quod hoc aliquid debeat esse pœnitentia, et motus ejus.

V. Efficax nihilominus est ratio S. Thomæ, supponendo quod connaturaliter, modo proportionato, et juxta exigentiam naturæ rerum, non tollitur aliqua offensa, nisi tollatur ejus fundamentum et origo; quod significat S. Thomas articulo secundo illis verbis: « Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo; unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis immutetur, et convertatur, etc. » ubi ly procedit insinuat fundamentum offensæ, quod est aversio, et ly requiritur etiam indicat exigentiam connaturalem et debitam; posito autem fundamento et indignitate subjecti, ex qua oritur denominatio offensi, Deus debet judicare hominem illum esse sibi offensum, et indignum sua amicitia et reconciliatione, loquendo juxta connaturalitatem subjecti, quia manente fundamento offensæ ex parte hominis (scilicet aversione) connaturale est remanere offensam, et indicare hominem indignum amicitia divina: ergo loquendo de facto, et juxta exigentiam rerum, efficax est ratio

S. Thomæ. Quod si gratia et voluntas divina causat totum bonum creatum, et peccatum non remittitur nisi ex gratia Dei, quod non potest remitti sine immutatione interiori voluntatis, quia voluntate immutata manente, semper manet fundamentum offensæ; immutatio autem ab ipsa gratia causari debet, quia gratia Dei, cum sit bona ejus voluntas, omnis boni causa est; et cum ex ista gratia, seu bona Dei voluntate remittatur nobis peccatum, oportet quod si connaturaliter et juxta naturæ exigentiam remittatur, quod causet immutationem aliquam in nobis, sine qua non tollitur fundamentum indignitatis et offensæ; et consequenter non potest modo connaturali remitti peccatum, nisi interveniente ista immutatione ex gratia Dei; quæ immutatio non est alia, quam detestatio illius aversionis injuste factæ contra Deum, et dilectio ipsius Dei super omnia, quod pertinet ad motum contritionis seu pœnitentiæ.

VI. Ex quo solvuntur instantiæ allatæ. Ad primam enim concedimus divinam voluntatem et gratiam esse causam omnis boni, tam moralis quam physici, quod intervenit in remissione peccati. Et cum infertur unde ergo probat S. Thomas, non posse separari hunc effectum moralem ab illo physico, nec sufficere quod divina voluntas causet effectum moralem extrinsecum, sine reali et intrinseca mutatione peccatoris per pœnitentiam, respondetur optime id inferri ex præsupposita et subintellecta conditione requisita ad talem remissionem, scilicet, quod tollatur indignitas offendentis, et fundamentum offensæ erga Deum, quia manente fundamento offensæ, non potest connaturaliter et juxta exigentiam rerum ipsa offensa tolli; et hoc fundamentum est voluntas ipsa aversa a Deo: ergo gratia re-

mittens offensam juxta istam connaturalem exigentiam, ita debet causare effectus morales in condonando, quod etiam tollat physicos, ut fundantes istam offensam moralem, alias non perfecte, neque connaturaliter tolleret et remitteret offensam: et sic non possunt separari isti effectus, si remissio fit juxta connaturalem modum et exigentiam ipsius, sicut de facto fit.

VII. Ad secundam et tertiam instantiam respondetur, quod non sufficit infundere gratiam habitualement sine actu immutante voluntatem, et quod iste actus non solum debet esse dilectionis, sed etiam contritionis et doloris, quia licet ut gratia recipiatur in anima physice, nullas requirat dispositiones; tamen ut recipiatur voluntarie, requirit voluntatem ipsam disponi et immutari: est autem connaturale cuiusque dispositionibus; et connaturale est gratiæ, ut recipiatur cum consensu et voluntate hominis, et non aliter, quia gratia convertit hominem ad finem supernaturalem; quæ conversio sine voluntate non fit. Unde si gratia divina connaturaliter, et modo proprio debet causare remissionem peccati, oportet quod non solum infundat gratiam habitualement, sed etiam dispositiones, sine quibus voluntas non immutatur, ut voluntarie gratiam recipiat; inter istas autem dispositiones oportet unam ex illis esse pœnitentiam seu contritionem, eo quod voluntas per peccatum facta est impia et injusta contra Deum; unde oportet, quod per modum justitiæ et vindicationis revertatur ad Deum; non ergo sufficit sola dilectio, ut præcise talis, nisi etiam per modum justitiæ et expiationis importet; quod directe pertinet ad pœnitentiam, et hoc loquendo connaturaliter et juxta exigentiam rerum.

VIII. An vero sufficiat aliquando virtualis pœnitentia, quæ in ipso actu dilectionis continetur, tamquam in aliquo eminentiori, loquendo de facto, respondetur sufficere in aliquo casu, ut quando aliquis non recordatur suorum peccatorum distincte, et elicit actum dilectionis Dei super omnia, talis justificabitur sine explicita et formali pœnitentia, id est, sine actu doloris, quia cum non recordetur peccatorum, non datur materia doloris et detestationis, quæ solum sunt peccata; et tamen habet dilectionem Dei super omnia, cum qua non compatitur peccatum, quia ut dicitur I Petri IV: *Charitas operit multitudinem peccatorum*: et I Joan. IV: *Qui manet in charitate, in Deo manet*: et iterum VII: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*: non ergo ille qui elicit dilectionem Dei super omnia manet in peccato, et tamen non habet formalem dolorem, sed solum actum amoris, qui eminenter est dolor pœnitentiæ, eo quod sic diligens habet motivum dolendi de peccato per contritionem; contritio enim est ex motivo dilectionis Dei super omnia; ergo qui habet istam dilectionem, jam habet motivam contritionis; ergo virtualiter contritionem habet; formaliter autem conversionem ad Deum ut ad ultimum finem, quia diligit eum super omnia; ergo justificatur.

IX. Sed quid, si recordetur actualiter peccati mortalis, et non habeat dolorem, qui est formalis actus pœnitentiæ, sed tantum dilectionem Dei super omnia, sufficere ne ille actus dilectionis, qui est virtualis pœnitentia sine formali dolore, quæ est pœnitentia? Respondetur non sufficere: et negamus suppositum, nempe quod in illo casu habeatur verus Dei amor super omnia, si non habeat formalem pœnitentiam, et dolorem de peccato,

quando recordatur illius. Ratio est, quia in habentibus conscientiam peccati mortalis currit præceptum divinum de pœnitentia, quod certum est dari, cum toties repetatur in Scriptura: *Pœnitentiam agite, etc.* Quod tamquam distinctum præceptum a præcepto dilectionis ponitur: hoc enim obligat etiam eos qui non peccaverint; præceptum vero pœnitentiæ solum obligat eos qui peccaverunt. Et licet non statim obliget, vel pro omni tempore, quia est præceptum affirmativum, tamen sine ejus impletione non potest peccatum remitti, alias frustra poneretur, quia remisso peccato non urget præceptum pœnitentiæ, quod solum est ad obtinendam remissionem peccatorum. Cum autem non obliget eum, qui obliviscitur peccatorum, quia sic est impossibile detestari ea, sequitur quod obliget eos qui habent conscientiam peccatorum.

X. Et hujus ratio est, quia naturale est, ut qui recordatur peccatorum, quando convertitur ad Deum, etiam recordetur se esse obligatum ad satisfactionem, et insuper teneri ad confessionem: quam saltem in voto et implicite tenetur desiderare: ergo non potest diligere Deum super omnia in tali casu, ut oportet, nisi doleat de illa offensa, velitque Deo satisfacere: quod pertinet ad pœnitentiam formalem. Unde Concilium Tridentinum docet: «Fuisse motum contritionis quovis tempore necessarium ad impetrandam veniam peccatorum:» ergo si iste, qui nunc recordatur peccati mortalis, vult habere veniam, non sufficit elicere actum dilectionis, omisso motu contritionis; sed tenetur illum adhibere, alias non diligit ut oportet, quia diligit, et non vult satisfacere, cognoscendo se debitorem.

QUID DE ABSOLUTA POTENTIA DEI?

XI. Ostenso quod connaturaliter et de facto non potest remitti peccatum sine pœnitentia, restat videre, an etiam essentialiter id sit necessarium, ita quod nec de potentia absoluta possit sine aliqua pœnitentia remitti peccatum. Et potest hoc in duplici sensu disputari. Primo, an sine ulla physica et reali mutatione ex parte hominis, possit per votam extrinsecam Dei condonationem peccatum remitti: secundo, an dato quod requiratur aliqua realis mutatio in homine, sufficiat aliqua alia mutatio præter pœnitentiam, etsi non ita connaturaliter remittatur peccatum, sicut cum pœnitentia. In primo sensu plures auctores tenent, posse sine ulla mutatione reali ex parte hominis peccatum tolli per solam extrinsecam condonationem Dei. Pro qua sententia citantur Scotus, Henricus, Gabriel, Medina; satisque significat Bellarminus libro II de justificatione, capite XVI.

XII. Fundamentum est, quia peccatum præcedens nihil physicum relinquit in homine, sed tantum moralem quamdam denominationem per respectum ad peccatum præteritum, a quo homo etiam tunc denominatur peccator, quamdiu illi non remittitur offensa: ergo per se et essentialiter non requiritur ad ablationem talis peccati aliquid physicum, sed sufficit moralis condonatio et remissio Dei. Nec obstat, quod requiritur ut qui offendit retractet offensam, et veniam petat, ut ei possit condonari: hoc enim verum est, si connaturali modo id fiat; tamen essentialiter et absolute sufficit voluntas offensi remittentis illam injuriam, si quidem offendens solum remanet secundum moralem æstimationem aversus, et inimicus offenso, atque obligatus illi satisfacere pro injuria; quod est esse reum, id est, obligatum pœnæ: huic autem obligationi potest alter cedere sine ulla mutatione voluntatis offendentis, solum nolendo illum habere et reputare pro reo, et sibi obligato. Sicut etiam apud homines fieri potest; et sicut potest aliquis absolvi a censuris solum quia superior vult illam censuram tollere, etiamsi ille qui est ligatus nolit voluntatem mutare: ergo similiter potest Deus vincula omnia, et obligationem seu reatum peccatorum tollere, nulla facta mutatione in voluntate hominis, sed etiam ipso repugnante et nolente, Deo autem condonante et remittente.

XIII. Pro secundo sensu plures casus numerantur, quibus potest Deus per aliquam mutationem hominis, non tamen per mutationem pœnitentiæ peccatum tollere et destruere. Primo, per unionem hypostaticam; si enim Deus naturam hominis peccatoris assumeret ad suam personam, etiam ipso homine nihil operante, nec actum pœnitentiæ eliciente, peccatum non maneret in illa natura sic assumpta, quia repugnat peccatum esse in homine, qui est Deus; sic enim Deus, seu persona illa divina diceretur aversa a Deo, habendo humanitatem aversam per peccatum.

XIV. Secundo, potest tolli peccatum per visionem beatificam, quia si homini existenti in peccato Deus daret visionem beatam, hoc ipso ille homo maneret beatus, quia videt Deum: ergo maneret sine peccato, nam peccatum non compatitur cum beatitudine, si quidem beatitudo est gratia consummata, et perfecta unio cum Deo: ergo si peccatum non compatitur cum gratia, multo minus cum beatitudine, quæ est gratia consummata: et tamen ille non elicit actum pœnitentiæ, sed solum visionis, ut supponimus: er-